

*Pri. B3. Seite. 13.*

*1761,7.*

*D E*

**RATIONE IURIS ROMANI  
IN CONSTITVENDA TUTELA**

**LEGITIMA**

**ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS**

**CONSENSV**

**P R A E S I D E**

**D. HENR. GODOFREDO BAVERO**

**SUPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.  
LIPSIENS. ADV**

**IN AUDITORIO ICTORVM**

**D. I. OCTOER. A. C. MDGCLXI**

**DISPVTABIT**

**CHRISTIANVS GUILIELMVS GOTTHILF  
IAENICKE**

**CYGN. MISN**


---

**LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEIMIA**



DE  
CATALOGUS LIBRIS ROMANI  
IN CONVENTUANIA TATIEN  
EGITIA  
PILATEBIS ICTORUM ORDINIS  
COUNS  
PLATEA  
D HENR CECOPEDO SAMVRO  
TATIEN  
CHRISTIANAE PRIMICIE GOTTHE  
DIAVATAT

PLATEA  
X. DEDICATA A M. M. M. M.





§. I.

**N**ouimus tutelam a PAVLO in l. i. d. tutel. Tutelae speciatiomque legitimae desinitio.  
per vim ac potestatem in capite libero  
iure ciuali datam ac permittam eo animo  
definiri, vt appareat differentia inter ge-  
nera tutelarum, vt intelligatur, alias ex ipsa lege descen-  
dere, alias ex alio fonte proximo, permittente ciuali lege,  
esse repetendas. Illas nemo ignorat legitimas dici pro-  
pterea, quod legi innituntur. Ex quo per se patet, tu-  
telas legitimas sine legis dispositione nullas esse, pater-  
que, hoc potissimum intuitu ad varia, quibus obliga-  
mum, iura esse respiciendum.

§. II.

Cum enim ex ipsa natura pateat, pupillaris aetatis, Legitima tu-  
tela nulli gen-  
ti est incogni-  
ta, quod fecus  
in tutela te-  
stamentaria.  
quae suis ipsa commodis parum consultit, ab iis haben-  
dam esse rationem, quibus incumbit, saluti publicae pro-  
spicere, id est principibus, et, penes quos est ius le-  
gum ferendarum, quis quaeso existumet, ullum ius ex-

A 2 tare,

rare, in quo sibi caput aliquod legitima tutela haud vindicet. Estque profecto hoc tutelae genus nulli genti incognitum. Testamentarium, quam ex iure XII. Tabb. scimus descendere, nemo propugnabit, omnibus aliis gentibus, antequam vniuersum fere habitabilem orbem peraugatum fuerit Ius Romanum, fuisse cognitam? Siquidem ipsa ex testamento succedendi ratio, et si publicae tranquillitati, aequitati, et prudentiae egregie inseruiat, ipsis naturae praeceptis omnino sit consentanea, dubitatur. Vnde apud veteres Germanos, quorum consuetudines, a diligentiori prudentiae studio alienae, ad ipsam naturam humanam videntur compositae, *heredes successoresque testante TACITO sui cuique liberi, et nullum testamentum.* Nec puto datiuae tutelae, non deficiente legitima, inter gentes maxime ex natura viuentes multum fuisse tribuendum.

## §. III.

*Ius Roman. in  
constituenda  
tutela legiti-  
ma in primis  
ad successionis  
commoda re-  
spicit.*

Etsi vero legitimam tutelam nulli genti fuisse incognitam statuo, minime consequitur, eam inter omnes gentes candem fuisse. Ius Romanum, quia secundum naturam, seu aequitatem, est, *commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda,* l. 10. D. d. R. I. quo tutela redeat, eo hereditatem peruenire voluit. l. 73. D. eod. Ex quo verborum in cit. l. 73. ordine quum nemo facile collegerit, hanc fuisse mentem SCAEVOLAE, ut innueret, succedendi iura secundum ordinem in suscipienda legitima tutela obseruandum Iure Romano fuisse collata, lubentissime CVIACIO, HOTOMANNO, aliquisque

aliisque a GODOFREDO in *Commentario ad nostram l. 73.*  
*pr* citatis, hoc sibi velle hanc regulam concedimus, ut appa-  
 reat, onus tutelae sequi successionis commodum, ad-  
 eoque sic potius, et naturae rei conuenientius dicendum  
 fuisse: eo tutelam redire, quo hereditas perueniat,  
 quod ipsum subiecta a SCAEVOLA exceptio, *nisi cum*  
*foeminae heredes intercedunt*, confirmat.

## §. IV.

Idque, quod hoc loco in genere ICTUS dicit, va- *Eiusdem ora-*  
 riis exemplis magis confirmat Imperator I V S T I N I A - *gumenti con-*  
 N V S in Tit. XV. et XVII. seqq. *Institutt. Lib. 1.* diserte-  
 que probat V L P I A N V S in *l. 1. pr. D. d.* Legit. tutor.  
 addita alia ratione: *vt, qui sperarent hanc successionem,*  
*idem tuerentur bona, ne dilapidarentur.* Quo ipso,  
 magisque iis, quae in *l. 1. D. vbi pup. educ. vel morar. deb.*  
 continentur, V L P I A N V S videtur contradicere M A R-  
 C I A N O in *l. 14. D. d. testam. tut.* ex qua intelligimus,  
 personae, non rei, tutorem dari. Scilicet ex *cit. l. 1.*  
 ac *tot. tit. vbi pup. educ. vel mor. deb.* appetet, saepius  
 euenire, ut pupillus tutori legitimo educandus haud  
 credatur, sed apud alium versetur, quod etiam apud  
 Graecos obtinuisse, ex adducta C H A R O N D A E et s o-  
 L O N I S lege obseruat P V F F E N D O R F F I V S in *Iur.*  
*Nat. et Gentt. Lib. IV. Cap. IV. §. 15.* Quae si cum  
 cit. *l. 14. d. test. tut.* conferas, manifesta videtur con-  
 tradictio.

## A 3

## §. V.

*Tutor perso-  
nae datur po-  
tius, quam bo-  
nis, et si secun-  
dum succe-  
dendi ordinem  
a lege voce-  
tur.*

At enim uero nihil impedit, nec cessat officium tutelae, et si tutor ipse sua opera pupilli educationi non inseruiat. Nec admitto, hanc esse MARCIANI sententiam, ut potius hoc tantum innuat, tutori incumbere potissimum, ut curam habeat pupilli, quo alimenta ei, et educatio, dignitati modoque patrimonii conformis, decernantur. Quae omnia ab ipso tutele, an ab alio illius nomine, sic fiant, ut ipse modum rationemque aut solus, aut consulto Practore, constituat, nihil interest. Est igitur verissimum, ius Romanum, quibus successionis commoda largiatur, eosdem ad tutelam vocare suscipiendam, modo non foeminae debeat successio, quia *tutela publicum est munus, adeoque masculorum, l. fin. D. d. tutel.* Et haec suscipiendae legitimae tutelae ratio plane nullam antiquo iure Romano agnoscit exceptionem.

*Iure nouo ac-  
cessit aliud tu-  
telae legitimae  
fundamen-  
tum, id est  
amor praesumtu-*

Accessit recentiori tempore aliud legitimae tutelae fundamentum, id est amoris praesumtio. Quod ipsum tamen successionis commodo usque ad Iustiniani tempora fuit posthabitum. Matri quippe, ob adductam rationem, iure Codicis ex *l. 2. C. quand. mul. tut. offic. fung. pot.* deficientibus testamentariis, aliquaque legitimis tutoribus, ex *Nou. 118. cap. 5.* vero statim post testametarios, renuncianti secundis nuptiis et SCto Velleiano tutela relinquitur, et si sit munus virile. Idemque prizilegium

uilegium **I V S T I N I A N V S** auiae aliisque adscendentibus secundum gradus proximitatem, concessit.

§. VII.

Qua occasione, existimo, contradicendum esse **SCHILTERO**, qui in *Exercit. ad Pand. XXXVII. th. 48. verb: vi successionis* affirmat, mutatam esse a **I V S T I N I A N O** in *Nouell. n8. cap. 5.* constituendae tutelae maternae rationem. Hunc videlicet matri tutelam, quae ipsi antea ex amoris maternique affectus concessa fuerit prae sumtione, propter successionis emolumentum detulisse, ex eaque causa auiam quoque, deficiente matre, ad eam admisisse. Cui equidem sententiae propterea haud subseribo, quod, matris et auiae intuitu, tutelae liberorum nepotum ue gestio non muneris, quum volentes quidem admittantur, non vero inuitae coercentur, sed beneficii potius locum obtinet. Quae quum ita sint, quis crediderit, propterea, quod successionis commodo ex constitutione **I V S T I N I A N I** mater, et, hac deficiente, auia fruuntur, iisdem quoque commodum tutelae suisse concedendum.

§. VIII.

Id vero ex verbis *cit. cap. 5.* apparere non inficior, licet propter naturalis amoris prae sumptionem adscendentes, et in his diserte matrem et auiam, ad liberorum tutelam **I V S T I N I A N V S** admiserit, has eum secundum gradus proximitatem admisisse, absque dubio, quia mater diligentius, quam auia et remotiores adscendentes, liberorum commodis inseruir credenda est. Quam ob

*Quod iure  
Nou. non est  
mutatum.*

ob causam cum BERGERO in Oecon. Iur. Lib. I. Tit. IV. §. 4. et SCHILTERO in Exercit. ad Pand. XXXVII. tb. 59. contra CARPOZIVM P. II. C. XI. def. 13. pro-  
pugno, matri potius, quam auo paterno, tutelam liberorum suorum, donec a nuptiis recens incundis abstineat, esse concedendam. Minimeque CARPOZIVIO ANTON. FABER in Cod. Lib. V. Tit. XVII. ad quem iste, prout in singulis fere solet lineis, prouocat, adstipula-  
tur. Scilicet FABER hoc tantum defendit, si pater cum li-  
beris suis in patria potestate sui patris constitutus decesse-  
rit, nepotes in patria potestate cui constitutos non sub-  
ire tutelam maternam. Quod lubentissime largior, non  
immemor canonis iuris Ciuilis, nondum soluta patria  
potestate, exulare potestatem tutoris, quae videlicet ho-  
minem sui iuris ipsa essentia sua supponit. Quod vero  
his FABRI rationibus, quae rem plane diuersam feriunt,  
permotus CARPOZIVS existimat, tutelae admini-  
strationem non matri petenti, verum auo potius pa-  
terno esse tribuendam, eo magis miror, quod hodie  
rariissime contingere solet, vt liberi, nondum soluta per  
separatam oeconomiam patria potestate, nuptias contra-  
hant. Suppono, liberos, mortuo patre, sui iuris esse fa-  
ctos, nec in cuius patria potestate existere, et, hoc sup-  
posito, matri propter gradus proximitatem, indeque  
prouenientem fortiorum amoris naturalis praesumptionem,  
tutelam liberorum, non auo paterno, concedendam esse  
existimo.

**ULB Halle**  
007 114 605

3




WONR



Pr. 33. Seite 13.

1761, 7.

B.I.G.



D E

RATIONE IVRIS ROMANI  
IN CONSTITVENDA TVTELA  
LEGITIMA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV  
P R A E S I D E

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.  
LIPSIENS. ADV

IN AVDITORIO ICTORVM

D. I. OCTOBR. A. C. MDCCCLXI

DISPV TABIT

CHRISTIANVS GVILIELMVS GOTTHILF  
IAENICKE  
CYGN. MISN

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEIMIA

